Schleussner, Joh. Aug.
Frankfurt a/d. O.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

MORBIS VENEREIS PRIMARIIS

CVM

PRAEMISSA OBSERVATIONE

CIRCA

LVIS VENEREAE CVRATIONEM,

QVAM

CONSENSV ATQVE AVCTORITATE

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

IN

VNIVERSITATE LITERARIA FRANCOFVRTENSI

PRO SVMMIS

IN

MEDICINA ET CHIRVRGIA HONORIBVS

LEGITIME CAPESSENDIS

A. D. VIII. APRILIS CIↃIↃCCXCVII.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

IOANNES AVGVSTVS SCHLEVSSNER

MITTENWALDA - MARCHICVS.

TRAIECTI AD VIADRVM,

E TYPOGRAPHEO APITZIANO.

SERENISSIMO PRINCIPI

ET DOMINO

FRIDERICO VILIELMO

TOTIVS REGNI BORVSSICI

HAEREDI

ETC. ETC.

DOMINO SVO INDVLGENTISSIMO

CLEMENTISSIMOQVE

HEROI

GENEROSISSIMO ANIMO REGIAQVE

LIBERALITATE

MILITIS VALETVDINEM

COMPLECTENTI

HAS ACADEMICAS PAGELLAS

SVB MILITVM CVRATIONE

POTISSIMVM NATAS

DEVOTISSIMA PIENTISSIMAQVE MENTE

SACRAS ESSE CVPIT

SVBIECTISSIMVS

IOANNES AVGVSTVS SCHLEUSSNER.

DE

MORBIS VENEREIS PRIMARIIS, CVM PRAEMISSA CIRCA CVRATIONEM LVIS VENEREAE OBSERVATIONE.

§. I.

Prooemium.

Doctrinam de lue venerea colendi et exercendi mihi quidem data fuit exoptata opportunitas multiplex. Siquidem per quinque menſes demandata erat cura aegrotorum venereorum in inclyto Berolinenſi noſocomio, quod propter inſtituti ſui rationem charitatis cognomen merito trahit. Deinde, quum per biennium chirurgi militaris munere fungerer et quod ſilentio praeterire non poſſum, mihi liceret vti praeſidio viri incomparabilis, de me optime meriti et ad vltimum vitae halitum pie colendi, PVCHTERI, chirurgorum praefectus ſupremi, cuius ſcientia, ſolertia et humanitas me inſtruxit meaque coepta ſuſtentauit adeoque bene mecum egit, vt non poſſim, quin illi maximas gratias, quoad viuam, habeam meque

que ipſi maxime deuinctum publica hac occaſione declarem.

Aderat autem tunc temporis in dicto noſocomio numeroſa ſatis venereorum copia, feminarum ſucceſſiue nempe 107, quarum 55 conualuere et mortuae ſunt duae; virorum ſexaginta, quorum 28 reſtituebantur me praeſente. Nec inter milites curae meae commiſſos deerant, qui immoderatam libidinem ſequi conſueuerant indeque incontinentiae poenas frequenter luere debuerunt. Morbi ergo, de quo dicturus ſum, rationem docuit me et fidelis inſtructio et ipſe vſus exercitatioque. Ea enim, quae ipſe vidi cogitauique, cum praeceptis aliorum artis peritorum comparare haud neglexi. Atque haec omnia perſcrutatus ſum ea ratione, vt naturam malorum venereorum, ad quam ſolam curantis conſilium dirigi debet, paullo magis indagarem et perſpicerem. Enumerare poſſem longam quidem animaduerſorum caſuum ſeriem, et enarrare multa morbi exempla, inſtituti mei ſi eſſet magnum conſcribere volumen. In aliam autem occaſionem hoc repoſituro ſufficit mihi pro finibus libelli praeſcriptis, quaedam de morbis venereis primariis proferre oſtendereque in quibus meae obſeruationes cum aliis aliorum conueniant, et animaduerſionem de morbo ſecundario adiicere, quae digna mihi viſa eſt, vt in publicum prodeat.

§. II.

§. II.

Obſeruatio.

Equitum ſubpraefectus, nomine MAERTENS, vir antea ſanus, firmus, optime valens, triginta ſex annorum, cholericus, finiente menſe Maio in noſocomium miſſus eſt anno 1793. Viribus fractus, tabeque confectus erat, et laborabat loquelae et deglutitionis vitio. Curatius examinato ore, in conſpectum venit vlcus foedum alte lateque internas partes depaſcens, quod fundebat ſaniem purulentam rodentem.

Deleuerat malum iam palati mollem et oſſeam partem ita, vt magna pars alarum pterygoidearum oſſis ſphenoidei, et pars perpendicularis oſſei palati denudata carieque correpta apparerent, partes porro horizontales oſſium palati, magna portio marginis poſterioris oſſis vomeris eroſa eſſet, et ipſum os ethmoideum affectum eſſe videretur. Gingiuae magna portio exeſa erat. Dentium maior numerus ceciderat iam, reliquus niger erat. Temporum et genarum ſuperficiem contaminarunt vlcera cutanea. Reliqua membra ipſaeque partes genitales nullo vitio laborarunt. At vniuerſus corporis habitus maxime peſſumdatus erat et morboſus. Saeuiebat enim febris continua, hecticae ſimilis, cum debili celerique pulſu, quae ciborum appetitum et concoctionem deprauauerat, motisque ſudori-

doribus, paucis quidem, maciem et infirmitatem mufculis induxerat, ob quam corpus fuftentare membra non poterant. Pectoris interim et abdominis vifcera fana videbantur et nullum fignum indicabat propriam eorum valetudinem, ita vt, fi quid vitii fubeffet, id ab vniuerfa corporis imbecillitate et perturbatione nafci oporteret, quae lentam febrem diu continuatam fequi preffo pede confueuerit. Morbi hiftoriam, quae praefentis ftatus et originem et conditionem illuftrare poterat, ab aegroto accepimus fequentem. Antequam in praefentem morbum inciderat, cutaneas puftulas fuppurantes variis in locis effloruiffe, dicebat, quas quum a fcabie in lecto impuro acquifita deriuauit, fponte vario auxilio curare ftuduit, quo etiam multae confanuerunt, aliis iterum prorumpentibus. Sed anteceffit hunc morbum cutaneum gonorrhoea virulenta, ex venere impura, quam curatione interna et externa aluum mouentibus, decoctis vegetabilium et mercurialibus fopitam, et nullum aliud topicum vitium venereum eam fecutum effe, teftabatur. Toto hoc tempore, dum morbo cutaneo perfeuerante conflictabatur, munere fuo fungi pergebat. At quandam percipiebat infolitam tunc moleftiam et inertiam membrorum per menfes aliquot continuantem, adhibitis remediis domefticis neutiquam cedentem. Sub hoc ftatu accedit ten-

fio

ſio quaedam ingrata oris interni cum quodam tonſillarum tumore, quo deglutitio laedebatur. Ab admiſſo refrigerio hoc mali genus deductum et diſcutientibus et ſudoriferis fugare ſpontaneo conſilio annifus eſt aeger, ſed fruſtra hanc curationem adhibuit. Qua adhuc obſeruata, incommodum oris lente auctum eſt ſine graui doloris augmento. Deglutitionis autem difficultas increuit, cum qua ſe combinauit paullo poſt loquelae vitium. Aduerſus haec mala gargariſma ex diluto aceto nihil profecit. Diu itaque toleratam hanc valetudinem tandem curae chirurgi militaris ſuperioris committere cogebatur, qui os inſpiciens exulcerata loca iam detexit, et vlcus malignum ibi ſubeſſe indicauit, mercurii ope depurandum et conſanandum. Qua medela, quamuis ſaliua aliquantum fluxiſſet, ab initio vlceris progreſſus compeſci coepiſſe et oris vitii emendationem aliquam ſe adſecutum eſſe, confirmabat aeger. Prorumpentibus autem ſudoribus poſtea, qui continuationem curationis mercurialis ſecuti eſſent, vlcus conſtitiſſe primo, nec ſanationem porro vltra progreſſam eſſe. Ad hoc vsque tempus mercurium dulcem doſi ſenſim aucta ad ſaliuationis initium vsque adhibuit chirurgus. Quum vero perſpiceret, eum nullam porro opem tuliſſe, in auxilium vocauit mercurium ſublimatum corroſiuum methodo Swieteniana exhibitum, ſiquidem deletionem contagii venerei

venerei mediante ſpecifica curatione vnice ſpectauit. Strenue ergo inhaeſit vſui huius medicamenti. Effectum autem eo eſt, vt corpus, oris vlcus vero non emendaretur, ſed potius in deterius rueret, et febris, quam vocant mercurialem, maiores vires conciperet et in lentam declinaret. Exercitu tunc temporis ad bellum Franco-Gallis inferendum proficiscente, ſimul abiit chirurgus, hucusque curam aegroti gerens. Relictus itaque aegrotus, quum de ſalute ſua deſperaret, neglexit primo omnem medicam opem et variis remediis domeſticis hinc inde vſus eſt. Incrementum autem hinc totius mali enatum fecit, vt adſtantes teterrimum odorem et taedioſum aegroti adſpectum fugientes eum deſererent ipſeque deſtitutus omni fere ope neceſſaria cogeretur in noſocomio auxilium et ſuſtentationem quaerere. In tanta virium iactura et morboſe aucta irritabilitate, quae mercurialium vſum ſemper reddit inutilem, imo noxium, neceſſarium erat, auxilium roborans praeſentiſſimum praeferre omnibus aliis. Commendata itaque eſt pro virium modulo diaeta blande nutriens faciliſque concoctu et medicamentum, quod robori ſuccurrit, febrisque ſimul vim frangere et vlceris malignitatem compeſcere par eſt, nempe cortex Peruuianus, cuius infuſi quotidie largam quantitatem continuo exhibuimus, interpoſitis nonnunquam clysmatibus emollientibus.

Vlcera

Vlcera externa deligauimus ſimplici methodo et interna melle roſarum eſſentia myrrhae mixto curabantur. Qua methodo medendi per menſem continuata vires corporis reſtaurari coeperunt, vlcera euaſerunt puriora eorumque maligna indoles praecipue multum diſparuit, et aeger tandem ſebre fere ex toto ceſſante lectum deſerere valuit. Hoc ſaltim tempore cum medicatione roborante combinauimus ſpecificam antiuenereum et exhibuimus quotidie cum corticis vncia dimidia grana duo mercurii dulcis partitis doſibus per hebdomadas fere quatuor. Nullum veſtigium incipientis ſaliuationis inde apparuit, nec aliarum excretionum augmentum. Ab initio huius mercurialis curationis vsque ad tertiam hebdomadam morbus cum toto corporis habitu tantum emendationis incrementum monſtrauit, vt breui perfectam ſanationem ſperare poſſemus. Robur virium, vlcerum cutaneorum ſanatio perfecta et internorum oris imminutio et progrediens conſanatio hanc ſpem ſatis ſuſtentabant. At vltima hebdomade iterum vlcera haec in peius verti videbantur, quum ambitus eorum coerulescere et ſundius malignam indolem praebere coeperit. Mercurium itaque omiſimus iterum, dato ſaltim cortice Peruuiano ad drachmas ſex quouis die. Qui per menſem ſumtus ex toto malum apprime mitigauit vlceribusque puriorem conditionem attulit

lit quidem, ſed ad conſanationem perfectam ea cogere ſine auxilio mercurii poſſe non videbatur. Mercurio dulci antea dato quum nihil profecerimus, elegimus noui periculi cauſſa mercurium nitroſum. Saturatae nempe huius ſolutionis aquoſae quotidie dedimus primis diebus guttam, poſtea ſenſim doſin augendo guttas octo ex aqua communi deſtillata et ſimul aquoſum infuſum ex corticis vncia vna et dimidia paratum. Quorum vſu per quinque hebdomadas continuato notabiles portiones oſſis ethmoidei, vomeris et apophyſeos palatinae oſſis maxillaris ſuperioris exfoliatione ſeparatae ceciderunt, ita, vt magna iam vlceris pars purior appareret. Quo facto celerius progredi videbatur vulneris depuratio et ſanatio. Poſtremo autem parua adhuc loca vlceroſa pertinaciſſime denegabant cicatricem ducere, ſeu potius cuticula ſe contegere Ne itaque rurſus mercurii vſu malum ingraueſceret, ſic vt olim factum iam erat, doſin eius imminuimus. Quum vero hac ratione nihil amplius emendaretur, neglecto hoc remedio, ſolum corticem dedimus doſi ſupra notata. Quo ſatis diu continuato tandem aſſecuti ſumus perfectam vlceris conſolidationem et quaeſitam ſanitatis reſtitutionem et firmitatem. Poſtremo tempore aqua phagedaenica diluta pro oris collutione data eſt. Notare adhuc liceat circa corticis vſum, qui in tota hac curatione maximam vtilitatem praeſtitit,

ſtitit, doſin eius eo magis ſenſim nos diminuiſſe, quo magis rediret ſanitas. At conualescentis reſtitit adhuc graue incommodum, deglutitionis nimirum et loquelae ſumma difficultas, ob tantam oſſium palatique oris iacturam, quantam natura medicatrix redintegrare non poterat. Atque ſic reliquerat in palati media parte magnum hiatum, qui dictam difficultatem creabat. Artis igitur adminiculo opus erat. Factum hoc etiam feliciter eſt mechanico auxilio, lamina nempe argentea ouata $\frac{3}{4}$ pollic. longa, $\frac{1}{2}$ pollic. lata, quae occludere hiatum poſſet. Alteri eius ſuperficiei ſpongia adſuta erat, vt intra hiatum immiſſa laminam argenteam, limites eius ambitu ſuo attingentem, ſirmaret, eaque ratione perdita palati pars et deficiens conuexitas reſtitueretur. Quo itaque adminiculo, quod ipſe conualescens ſibi applicare facillime didicit, haec difficultas ſublata eſt, et aegrum menſe Decembri ſic plane ſanatum dimiſimus, qui ab illo tempore ſemper optime valuit.

Annotatione dignum eſt, aegrum ſemper ſtrenue negaſſe, ſe ante eſſloreſcentiam cutis vlceroſam praeter gonorrhoeam vllo alio morbo topico, vlcere v. c. quod chancre dicitur, aut bubone umquam ſe affectum eſſe, quamuis in eum maxima cura de hac re inquireremus. Nec itaque dubitauimus, ipſi ſidem habere, quum nulla ratio aegrum, quominus veritatem profiteretur, eo tempore

pore impediret. Nata ergo esse videtur a malo gonorrhoeico ipsa lues, cuius symptomata esse consueuerunt morbi tales, quales in nostro aegroto contigerunt. Interdum hoc fieri, licet valde raro accidat, conuenit inter auctores, vt itaque nec nouum sit, nec inauditum. Ea autem ex ratione hoc propono et vigeo, ne quis nimis fidat asserto quorumdam medicorum, gonorrhoeam excitari proprio miasmate, diuerso ab eo, quod luem generet, ex quo sequeretur, vt numquam haec illam sequi possit. Docet porro nostra obseruatio, vsum mercurii in curanda lue venerea, licet absque eo sanationem mali vix perficere possimus, saepius male cedere, si eum vltra vtilitatis terminum pertinaciter continuemus. Praeter vires antisyphiliticas enim alias quoque exserit, quae totum corporis habitum turbant, vt, quarum effectus si in conspectum veniunt, prudentiae sit, abstinere ab hoc remedio, aliudque adhibere, quo corrigatur enata turbatio. Hinc febris mercurialis dicta nullo modo tuta est, nec excretiones auctae mercurio motae in votis curantium sunt. Praeclare hac de re egit exerientia longa edoctus HVNTERVS a).

§. III.

a) Abhandl. über die venerische Krankheit Leipz. 1787.

§. III.

Contagium.

Morbum venereum propagari ab aegroto ad ſanum hominem contagio proprio, quod recondit ſanies fuſa ex locis partibusque, quarum ſuperficiem morbus occuparit, notum eſt. Vt autem infectio perficiatur, oportet eam ſaniem admitti mediante contactu ad partes corporis opportunas. Ad quas pertinent omnes, quarum ſuperficiem per ſe poteſt attingere ſanies. Externarum autem partium ſuperficies quum variae conditionis ſit,ad has differentias vtique attendendum eſt. Siquidem eam in aliis partibus obducit epidermis tenuiſſima,in aliis denſior, in aliis denſiſſima, qua igitur ſubiecta cutis ab iniuria ſtimuli externe admiſſi defenditur vel parum, vel magis, maximeue. Aliarum partium ſuperficies dicata eſt negotio ſecretionis, aliarum non aequa lege. Secretoriis ſuperficiebus tenuiſſima data eſt epidermis cutisque in his locis irritationi ſtimuli aduenientis maxime exponitur. Quo ſit, vt eiusmodi partes reliquis ſenſibiliores appareant. Huc ſpectant os internum, nares auresque internae, oculi, anus, vrethra et partes obſcoenae. Qualiscunque accedens his ſtimulus externus ſtatim percipi ſolet et, facta irritatione, vaſorum actio augetur, vt maior humoris copia ſecernatur et prodeat, cum ſimul mutata conſueta eius conditione

natu-

naturali vel ſana eadem manente. Reliquae denſiori cuticula donatae partes non ſic, vt illae, ſtimuli vim experiuntur, nec eius irritationem ſequitur auctus effluxus humoris, licet affluxus et ſecretio illius ei ſuccedat. Denſior ſiquidem epidermis ſecretum maiori copia humorem retinet. Quo ſit, vt haereat hic humor inter hanc et cutem, eaque ratione veſiculas generet, quibus ruptis tandem profluat et profluere pergat ex loco hoc, in organum ſecretorium pathologicum, vlcus nimirum, mutato. Quodſi itaque contagioſa ſanies venerea adiit orificium vrethrae, ſua irritatione efficit, vt maior quantitas humorum ibidem continuo ſecernendorum confluat et nullo obſtante impedimento libere profluat, mutata ſua conſueta coloris, conſiſtentiae et irritantium virium ratione. Idem accidit, ſi idem ſtimulus oculo aliisque dictarum partium admotus eſt. Adpellente autem eadem ſanie ad partes denſiori epidermide tectas, quarum tamen cutis irritationis vim experitur, ſit puſtula, et rupta ea, vlcus venereum, quod chancre nominant. Quem infectionis effectum frequentius in glande colis, praeputio, vulua, ſcroto, labiis oris, mammis et papillis mammarum animaduerti, nemo ignorat. Nam hae partes tenuem valde epidermidem habent. Reliquarum autem externarum partium denſior cuticula ſaniei aditum ad cutem praecludit, quae itaque non inficiuntur, niſi

antea

antea epidermis soluta sit. Sed vbicunque locorum venereus ichor nudam cutem prehendere potest, siue in vlcere, siue vulnere, ibi infectio sit et vlcus venereum oritur. Internarum vero partium superficies secretoriae huic periculo infectionis vacare videntur. Duobus enim exemplis testatur HVNTERVS, ichorem venereum lacte mixtum sine sanitatis detrimento potatum esse *b*). Lactis autem vim antiuenercam, qua cohibeat actionem huius veneni in ventriculo et intestinis, hic supponi debere, nemo putabit. Ratio huius euentus in specifica neruorum irritabilitate sita esse videtur, ob quam stimulus venerei virus afficere non potest sensibilem tunicam intestinorum. Interim ad infectionem praestandam non sufficit aptitudo loci, qui accipit venenum, sed requiritur, vt virus ipsum inficiendi facultate polleat. HVNTERO debemus, vt alia multa detecta, etiam hoc: tali saltim ichore morbum aliis tradi, qualem morbi primarii venerei exhibeant, et a pure, quod edunt morbi secundarii, nimirum vlcera cutanea, oris interni caet. frustra expectari propagationem mali; quod iterata instituta inoculatione expertus est *c*). Quorum experimentorum

b) Lib. cit. pag. 493.

c) Ibidem pag. 551. 495. conf. ADAMO Bemerkungen über Krankheitsgifte. phagadaena und Krebs etc. Berol. 1796. Cap. VII.

torum repetitio mihi certitudinem eorum persuasit.

§. IV.
Inficiendi occasio.

Vt itaque vsu compertum est, varias corporis partes externas affici a contagio posse: sic etiam perpetuum habemus, ea parte primo morbum se manifestare, qua contrahitur admisso contagio. Et, ex quo hic morbus fere innotuit, animaduersum est, propagari eum facillime contactu partium venereo tabo madidarum, et, quum frequentissime genitalia tabum ferant, etiam veneris exercitium frequentissimam inficiendi occasionem praebere. Inter tot etiam venereorum adultorum exempla, quot vidi, vbi a genitalibus inde malum duxerat originem, nullum fuisse, profiteor, in quo praeter venerem alia occasio praecessisset. Non raro quidem accidit, vt pudore commoti aliquam aliam fingere homines studeant, quibus turpissimum videtur errorem commissum vitiumque confiteri. Fieri interim posse, haud nego, hanc infectionem alio qualicunque modo, quo virus liquidum loca obscoena corripiat, cuius exemplum ex HILDANO adduxit *van* SWIETEN *d*), sed rarissime occurrit. Raram etiam esse eam,

d) Commentar. in aphor. Tom. V. pag. 382.

eam, quae contingit osculatione *e*), vſu poculi communis *f*), ſuctione mammarum a feminis *g*) et infantibus venereis *h*), ſed nihilominus veram, ex analogia concludo; licet nullam hucusque eiusmodi viderim. Sed fere aequale exemplum obuenit infectionis mediantibus fiſtulis tumariis, quibus vſus erat per aliquot dies iuuenis vlcuſculis in angulo labiorum oris laborans et quas poſtea alii ſumebant iuuenes per eas fumum Nicotianae herbae ducendi cauſſa. Omnibus his paullo poſt orta ſunt eiusdem generis vlcuſcula in eodem loco, quorum cauſa latebat, vsque dum infectio ſuſpicabatur, dum animaduerſa ſunt vlcera maiora prioris iuuenis, quae a gonorrhoea originem duxerant. Dato mercurio ſanatus eſt morbus infectorum omnium. Gonorrhoicum ichorem digitis admouerat ille inſcius ori et ſibi confecit inde ibidem vlcus primarium *i*). Saepius

 etiam

---

e) Cruikschank in Samml. auserles. Abhandl. Tom. VI. pag. 1 pag. 555.

f) Gruner die veneriſche Anſteckung durch gemeinſchaftl. Trinkgeſchirre aus Theorie und Erfahrung bewieſen. Leipz. 1767.

g) *van* Swieten lib. cit. pag. 380. Blochs medicin. Bemerk. Berlin 1774.

h) Hunter lib. cit. pag. 499.

i) Cuiusmodi exemplum refert Hunter lib cit. pag. 365.

etiam vidi, matre et infante malo venereo laborantibus, circa papillas mammae matris et in labiis infantis vlcuscula venerea, nec dubito, si eiusmodi mammae praebeantur tenello sano, eum iri infectum. Sed nunquam obuenit exemplum, venereae feminae lac ipsum sine malo papillarum topico eundem effectum praestitisse, quamuis iterata experimenta hac de re sint instituta. Quare cum HVNTERO consentire cogor, lac ipsum non propagare morbum *k*). Nullam dedit occasionem morbi halitus oris, aut exhalatio cutanea, nec sudor *l*) nec sanguis e vena missus *m*). Propagationis mali ex haereditate a patre venereo nullum inueni documentum *n*). A parturientibus feminis exclusi foetus nonnumquam praebuerunt morbi iam haerentis indicium *o*), sed si matris naturales partes infectae fuerant et vlceribus obsessae, mox post partum neonatum aegrotare coepisse vidi. Signa infectionis in conspectum autem venerunt praecipue in parte laterali scroti, ani orificio, antro vaginae et loco inter femora et pudendorum

k) HVNTER lib. cit. pag. 490.

l) ibid. p. 493.

m) ibid. pag. 490.

n) ibid. p. 489.

o) ibid. p 492.

dorum labia maiora. Ophthalmiam veneream numquam vidi inde ortam, quam saepius factam esse inueni, si matres acrimonia pudendorum et inde fluore albo rodente, sed non venereo, correptae erant. Obstetrices et anatomici, si vulneratis digitis munere suo apud venereas fungerentur, infectioni euadunt obnoxii *p*), mediante instrumento chirurgico male repurgato *q*), et dentium transplantatione *r*) morbum communicatum esse, legitur; sed rarissime ex vltima caussa venereum malum, verum aliud potius ab illo longe diuersum oriri solet, monente HVNTERO.

§. V

Veneni natura.

Veneni venerei indoles hucusque abscondita et obscura latet. Coniecturam quidem nonnulli ceperunt *s*), esse eam debere acidam *t*) quum succum violarum rubefa-ciat

p) SOEMMERING de morbis vasorum absorb. p. 70. SWEDIAVER pract. observ. etc. Lond. 1784. p. 94.

q) *v.* SWIETEN lib. citat. p. 384.

r) HVNTER lib. cit. p. 675.

s) CEZAN manuel antisyph. 1774.

t) Huic olim prolatae opinioni iam valedixit GIRTANNER Journal der Erfindungen u. s. w. 16 St. pag. 130.

ciat ichor venereus, quod vero ab alio purulento et corrupto humore animali idem fit. Nec mutatio, quam ichor venereus cum rebus reagentibus monſtrat, tribuenda eſt veneno. Siquidem hoc ichori ſaltem inhaeret, nec ichor ipſe venenum eſt, quod ſibi ſolummodo implicitum habet. Hoc autem certo ſcimus, venereum venenum, vt variolarum, morbillorum, ſcabiei, hydrophobiae aliorumque morborum miasma contagioſum, ſic etiam pertinere ad venenorum animalium morboſorum genus, quae ex peculiari effectu cognoſcuntur, dum afficiunt corpus viuum. Eadem enim ratione, ac hoc, illud vi pollet propria excitandi proprium et ſpecificum morbum eoque nato corporis vires ita exagitandi, vt hae ſui ſimile venenum elaborare cogantur idque multiplicent in locis ab infectione occupatis et morboſe affectis. Inſuper ſcimus, illud nunquam per aërem vaporis inſtar transferri ſed ad illud corporum genus pertinere, quod chemici fixum nominant.

§. VI.

Infectionis conditio.

Nacta autem inficiendi occaſione (§. IV.) qui fit, vt docente experientia, morbus ſeu infectionis effectus modo celerrime, modo tardiſſime, modo nunquam oriatur? Iam haec ipſa obſeruatio demonſtrat, ad morbi venerei generationem non ſufficere

veneni

veneni adplicationem praesentem, sicut non satis est ad variolarum communicationem admouere variolosum miasma homini, qui huic morbo hucusque vacauerit. Subsit itaque, necesse est, aliqua conditio hominis, quae susceptioni miasmatis ad morbi genesin faueat. Atque haec est dispositio aliqua singularis corporis viui stimulum miasmatis proprium recipiendi et percipiendi, quae simul cogit affectam partem irritabilem ad reactionem stimulo analogam. Ergo sensibilitas et irritabilitas specifica supponatur oportet, qua vna cum stimulo veneni proprio morbus peculiaris formetur, qui ergo constet ex actione singulari miasmatis et reactione aeque singulari virium animalium *u*). Quo magis ergo haec irritabilitas infecti hominis eminet, eo citius morbus proueniet, ea vero absente sine incommodo venenum adhaerere superficiei caeteroquin idoneae potest. Haerebit id certe sine effectu, vsque excitata est dicta irritabilitas. Quo fit, vt saepe diutissime post impuram venerem morbus impurus tandem prodeat.

§. VII.

---

u) Plura de his vid. HVFELAND Ideen über Pathogenie, Iena 1795.

§. VII.

Morborum venereorum classes.

Venereum virus conſpirante infectionis conditione §. VI. in ea parte vim ſuam primo exercet, a qua ſuſceptum eſt. In hac ergo primo tempore morbus ſe patefacit, poſtea vero in corpus penetrat totum, eiusque habitum commutando varias formas alias induit. Dispescuntur ergo morbi venerei in duas claſſes, *primariorum* et *ſecundariorum*. Illi ab infectione externa immediate oriuntur, partem aliquam corporis et determinatum locum ſaltim occupant; *partiales* ergo ſunt et topici, quibus praeſentibus reliqua ſanitas inturbata reſtat. Secundarii vero fiunt a mutatione in toto corpore nata, quam praecedere conſueuit morbus topicus primarius, quo etiam nonnunquam ſublato, ſecundarii accedere poſſunt varia forma variisque in corporis partibus. *Vniuerſales* hi ſolent vocari, quos omnes comprehendit nomen luis venerae.

§. VIII.

Morborum primariorum genera.

At morborum primariorum duo dantur genera. Vnum eorum vocatur *gonorrhoea*, fluor albus malignus, virulentus, alterum eſt *vlcus venereum*, ſiue malignum, Gallis *Chancre* dictum. Latam eorum deſcriptio-

ſcriptionem exhibere, ſuperuacuum duco, quum omnia de morbis venereis ſcripta continent.

Comparationem autem eorum proponere animus eſt, vt, quid iis commune ſit et quid cuique proprium, intelligatur. Forſitan hac via ad cognitionem differentiae inter hos poſitae propius duci et quae in hac adhuc obſcura deprehenduntur, eruere, quae vero iam patent, confirmare maxime poſſumus.

§. IX.

Quae his communia ſint.

Quibus inter ſe conueniunt, ab his incipiamus contemplationem. Morborum vterque oritur, ſimulac poſita conditione (§. VI) ichor venereus loca idonea (§. III) data occaſione (§. IV) contaminat, ſiue a gonorrhoea, ſiue ex vlcere (§. VIII) promanauerit. Communis itaque illis eſt miasma, ſeu materia morbi. Siquidem accidit, vt a feminae gonorrhoea, occaſione concubitus, infectorum virorum vnus eodem morbo, alter vlcere, tertius vtroque afficiatur; quod et ipſe obſeruaui et alii v). Praeterea, vt alia taceam argumenta w), HVNTERI

v) Cezan lib. cit. pag. 19.

w) CVLLENS Anfangsgr. der pract. A. K. Tom IV pag. 316. GIRTANNERS Abh. über die ven. Krankh. Tr. pag. 89. SIMMONS lib. cit. Tom. IX. p. 2. p. 291.

TERI experimentum inſitionis maxime nobis perſuadet, gonorrhaicum tabum gignere et vlcus venereum et ipſam poſtea luem veneream *x*); quo etiam medicorum lis, mota de diuerſa indole materiae vtriusque morbi *y*) diremta ex toto eſſe videtur.

Porro commune eſt his valetudinibus, quod in primo earum ſtadio partes infectas inflammatio aliqua modo grauior, modo leuior occupet. Qua ex cauſſa variis ſymptomatibus iisque nonnunquam atrocibus valde torquentur aegroti. Non ſolum enim ipſae partes ob infectionem laeſae, ſed remotiores, cum his conſenſu quodam coniunctae inde etiam aegrotare vehementer ſolent. Et alterum ſtadium iisdem commune eſt, quo purulenta ſanies miasmate venereó ſcatens generatur, quam plorant partes his morbis correptae. At enim vero hiſce in rebus poſtremis congruit cum dictis morbis topicis tertius, quem *bubonem venereum* appellant. Sed hunc externa infectio non parit, qui potius a gonorrhoea et praecipue ab vlceribus oriri conſueuit, dum miasma venereum per viam vaſorum abſorbentium glandulae conglobatae inſinuatur, hancque irri-

x) lib. cit. pag. 551.

y) de hac lite vid. SCHLEGELS Verſuch einer Geſchichte des Streits über Identitaet des Venus- und Trippergifts. Iena 1796.

irritando inflammat. Qua purulenta deinde facta, ichor prouenit aeque venenatus. Differt ergo hic morbus a prioribus eo, quod materia eum excitans in ipso aegroto a morbo primario nata, nec ab alio homine translata sit. Sed haec de morborum conuenientia tantum.

§. X.

Quid vnicuique horum morborum sit proprium.

I) Loci affecti indoles.

Sequitur, vt proprietates morborum, quibus inter se differant, consideremus. In quibus etiam tantum discrimen eos intercedere intelligitur, vt naturae diuersissimae esse facile videantur. Hinc etiam nostris temporibus continuatur medicorum dissensus, vtrum vere diuersae indolis sint, nec ne. Iam ex locorum morbose iis mutatorum conditione varia apparet discrepantia. Nam gonorrhoea correptus locus vrethrae vulnere vacat. Sanies ex hoc fusa virulenta exsudat ex vasorum inuulneratis finibus, ob stimulum admissi veneni irritatis. Et maximam eius partem glandulae mucosae largiuntur. Sectione cadauerum edocti sumus, gonorrhoea praesente vrethram sine vulnere esse z) san-

z) Morgagni de caus. et sed. morb. epist. XLIV. pag. 468.

sanguine autem magis rubicundam et glandulas cryptasque muco purulento scatere *a*). Haec oseruatio contradicit opinioni eorum, qui perhibuerunt olim, gonorrhoeae ortum supponere vlcus vrethae. Sine hoc autem eandem esse posse, nemo hodie dubitabit. Et si vlcerosa quaedam vrethrae suppuratio vna cum gonorrhoea adsit, hanc symptomaticam potius esse, quam vehementior inflammatio glandularum symptomatica produxerit, existimant hodierni medici. Nondum satis autem constat, vtrum pus eiusmodi vlcerum veneni vim possideat *b*). Quoties autem *chancre* dictum vlcus partem occupat, toties ibidem epidermis laesa est et deletio solidi viui, siue substantiae loci affecti. Durante enim inflammatione oculis cernitur epidermidis papulae instar eleuatio, sub qua ichor pronatus residet. Rupta hac perit epidermis et vlcus generatur, suppuratione venereum ichorem fundere pergens.

§. XI.

II) Morborum sedes.

Morborum ipsa sedes porro diuersa est. Siquidem gonorrhoea non nisi superficiem aliquam secretoriam tenuissima epidermide tectam,

---

a) HVNTER lib. cit. pag. 49. SIMMONS l. cit. p. 294. MORGAGNI p. 471.

b) HVNTER lib. cit. pag. 76.

tectam, et ſenſibilem hinc prehendit. Omnia autem eiusmodi ſuperficie carentia loca ab hac valetudine manent libera. In his autem ſedem figunt toties vlcera, quoties cutim corripere poteſt veneni ſtimulus. Etiam dubium adhuc eſt, anne etiam antea dictas partes nonnunquam occupent. Hoc ſaltem ſcimus, dari loca, quae et gonorrhoea et vlcere conflictari poſſint, glandem nimirum colis et internam praeputii ſuperficiem, vaginam, vterum et partes genitales externas feminarum, quousque ſuperficie ſecretoria ſenſibiliore praeditae ſunt. Gonorrhoeae ergo loca numero pauca dantur, vlcerum autem plurima. Sedem illa figit praecipuam in genitalibus et praeſertim in vrethra, raro autem in aliis aptis ſuperficiebus; vlcera vero quamuis praeprimis in genitalibus occurrant, reliquarum tamen partium nulla ab eorum acceſſu libera eſt.

§. XII.

III) Tempus primae inuaſionis.

Tardius gonorrhoea prouenire poſt veneni infectionem vlcera, ſemper obſeruaui. Primus morbus, ſi futurus eſt inter diem ſecundum et quartum poſt coitum impurum incipere ſolet. Vidit van SWIETEN ſecundo vel tertio die hoc factum eſſe e). Secundo ad ſextum vsque diem irritationem vre-

e) lib. cit, pag. 423.

vrethrae primum ſentiri, et hanc peractis tribus quatuorue diebus fluxum virulenti humoris ſequi, GIRTANNERVS teſtatur *d*) SIMMONS hunc terminum ad quartum vsque decimum quartum diem poſuit *e*). Gonorrhoeicam infectionem mox intra paucas horas agere iam coepiſſe, nonnunquam autem tardari ad ſextam vsque hebdomadem (vtrumque autem rarum videtur et tardum hunc fluxus ortum praeceſſerant ſingularia et inconſueta ſymptomata ſimul cum ſignis gonorrhoeicis abſente quamuis fluxu *f*) maxime autem conſuetum initii tempus fuiſſe die ſexto vel ſeptimo *g*), HVNTERVS animaduertit. Vlcera autem venerea prorumpere intra viginti quatuor et triginta ſex horas ad quartum decimum diem vsque contendit GIRTANNERVS, vt ſtatuat, ea, ſi praeterlapſis duabus hebdomadibus adhuc defuerint, nunquam acceſſura eſſe, ideoque poſt hunc terminum non amplius verendum eſſe eorum periculum *h*). Qua ratione contradicit HVNTERO, qui elapſis viginti quatuor horis vsque ad ſex hebdomadum tempus vlcera

d) lib. cit. pag. 79.

e) lib. cit. pag. 296.

f) HVNTER lib. cit. pag 52.

g) HVNTER lib. cit. pag. 51.

h) ibid. pag. 183.

vlcera prodiisse, docet *i*). Rarum eiusmodi exemplum mihi nondum se obtulit, quod autem obuenire, testatur quidam anonymus *k*).

§. XIII.

IV. Morborum effectus.

Valetudinis adhuc vtriusque magnum discrimen cernitur in effectu, quo inde aliae partes et totus corporis habitus male afficiuntur. Ad gonorrhoeae effectus pertinent praecipue affectiones locales, partium loco correpto proxime adiacentium et consensu coniunctarum cum eo, quae eo magis in conspectum veniunt, quo magis ob irritabilitatem aegroti specialem morbus vehementiorem gradum nactus est. Irritationi itaque debetur spastica turbatio, vel et ipsa inflammatio latius diffusa, quae totam tunc vrethram eiusque glandulas prehendit et nonnunquam pus colligit, sinuosa vlcera relinquens; vnde chorda etiam oritur et dolorificus priapismus, tumor dolorque testium et vesicae vrinariae, renum, vesicularum seminalium; vnde et spastico motu corripiuntur aliae pelui inclusae et abdominales sensibiles partes. Ipsae glandulae inguinales

i) lib. cit. p. 368.

k) Allgemeine deutsche Bibliothek. Berlin. Tom. CIV. p. 1. pag. 21.

les tument, saepius tamen ob spasmum, raro ob inflammationem; rarissime bubonum venereorum instar suppurantur. Reliquum corporis habitum, hoc existente morbo, interdum febris turbat, antequam humoris effluxus factus est, ob inflammatoriam irritationem natam, quam eo magis notari scimus, quo magis humoris effluxus retardatur, sero veniente itaque morbo *l*). Eamque increscere seu recurrere videmus, quoties effluxus, iterata vel aucta ob stimulum inflammatione, cessat. Quo tempore etiam consuevit tumor testium et glandularum inguinalium nasci ex sola partium consensuali irritatione. Adde, quod maxime notandum est, praesente sola gonorrhoea, a caussa ipsa venerea totum corpus, nisi perquam raro *m*) laedi. Cuius rei caussa ex eo pendere videtur, quod, hac valetudine praesente, ipsum contagium superficiem irritans et in eadem superficie paratum transire in systema lymphaticum et absorberi non potest. Alia enim via praeter hanc opus esse, vt corpori altius insinuetur, nec illa sola morbos secundarios luemque veneream produci credibile est. Inguinales quidem glandulae interdum gonorrhoea labo-

---

l) Hvnter lib. cit. pag. 113.

m) ibid. pag. 27. consentiente omnium experientia.

laborantibus intumescunt, vt bubonibus similes appareant, sed differunt valde hi a vere venereis, absente omni vel tantum praesente leuiori inflammatione et faciliori sanatione *n*). Nihilominus negari nequit, dari interdum exempla, admodum tamen rara, venereorum bubonum, ac luis venereae, a simplici gonorrhoea natorum *o*). Vlcera vero venerea non solum in loco correpto substantiam partis soluunt, depascunt, exedunt alte lateque, sed in partes vicinas quoque vim suam transferunt. Glande eis correpta vrethram *p*) testes et scrotum *q*) et praeputium laedunt plerumque inflammatione accersita. Quae autem praeprimis hic notari meretur, proprietas eorum haec est, quod resorptioni venenati ichoris in systema vasorum lymphaticorum faueant quam maxime. Quare bubones venerei ea frequenter comitantur et morbi secundarii instantes semper timescendi sunt, quoties vel minimum eorum se manifestauit. In hoc itaque morboso effectu hae valetudines vehementer inter se discrepant, quum earum altera valde

raro

n) HVNTER lib. cit. pag. 101. 485.

o) ibid. pag. 99.

p) ibid. pag. 370.

q) ibid. pag. 371.

raro *r*), altera fere ſemper lui venereae anſam praebeat. Ad quaeſtionem, qui fiat, vt reſorptioni contagii ſuccumat vlcus atque repugnet gonorrhoea, reſpondent, cauſſam eſſe inflammationem gonorrhoeicam, expertum quum ſit, ſuperficiem inflammatam ad reſorbendum ineptam eſſe *s*). At enim vero haec ratio non ſufficiet conſideranti, primum dari gonorrhoeae exempla ſine vllo fere dolore *t*), qui quum ſemper dolor inflammationem comitetur, fere abeſſe inflammationem teſtatur etiam hoc in caſu; deinde continuare profluuium ichoris venerei, omni inflammatione discuſſa *u*) et nihilominus hunc non reſorberi; porro vlcera venerea nunquam ſine inflammatione, ob quam ſuppuratio pergat eſſe in toto ſuo ambitu et nihilo ſecius haec ſuperficies inflammata reſorptionem non impedit. Forſitan vero faciliori negotio reſorbentur humores in pathologica ſecretoria ſuperficie nata ex ſubſtantiae iactura, qualem vlcus qualecunque habet, quam in phyſiologica, qua ſubſtantiae nihil demitur, ſi ab eodem irri-

r) ibid. pag. 486. luen poſt obſtipatam gonorrhoeam vidit SIMMONS l. cit. pag. 291.

s) HVNTER l. cit. pag. 101.

t) ibid. pag. 73.

u) ibid. pag. 63.

irritationis gradu afficiantur? Quodſi vero vaſa lymphatica venenum ſusceperunt, ab eodem irritantur, inflammantur, tument et dolent. Haec mutatio maxime conſpicua eſt in eorum conglobationibus, quas glandulas vocant. Haec ratio eſt, quare bubones ab vlceribus praecipue generantur et raro a gonorrhoea. Inueniuntur illi ſemper iis in locis, vbi vaſa lymphatica congregantur, quae de parte vlceroſa abeunt. Eadem via per vaſa nempe lymphatica progreditur miasma et tandem ſanguinem inquinare videtur, quo per corpus diffuſum ſanam eius conſtitutionem peruertit, et luis venereae fundamentum ponit certiſſimum. Sic intelligitur, generationem morborum ſecundariorum fieri vlceribus eiusmodi natis facillime. Notandum autem eſt, interdum vlcera ſequi luem absque bubonum productione praegreſſa, licet hoc rarius accidat.

§. XIV.

Sanatio ſpontanea.

Gonorrhoeam virulentam ſpontaneo ſaepe auxilio naturae ſanari, non ſolum ſi artis adiumentum nullum, ſed ſi etiam parum congruum adhibitum ſit, experientia conuincimur. Attamen cum HVNTERO contendere, hoc ſemper ita eſſe *v*) non audeo.

v) ibid. pag. 50.

deo. Ipſe enim animaduertit, rite inſtituta curatione eam longe facilius cedere *w*). Compertum etiam eſt, neglecta ea aut perverſe curata, excitari multa grauiaque mala, quae nec tollere, nec iis praeuenire poteſt vis vitae medicatrix ſola. Itaque haec valetudo medicorum curatione ſemper indiguit et adhuc indiget, praeprimis ſimulac vehementiae aliquem gradum adepta eſt. At vlcera venerea eaque mitiſſima et minutiſſima ita medicam opem ſibi poſcunt, vt maiora grauioraque numquam naturae viribus compeſci poſſint. Deſtructionem inchoatam continuant ſine mora, creſcit eorum ambitus et periculum vniuerſi corporis infectionis indies augetur. Hinc indicant, artis auxilium ſumme neceſſarium eſſe. Eo ergo maiorem attentionem curantis et ſolertiam nullo non tempore ea exigere, quo et per ſe minus ſileant et quo vehementiora mala adducere ſoleant, conſtat inter omnes.

§. XV.

Curatio artificioſa.

Diuerſiſſima via curationis artificioſae opus eſſe ad ſanationem harum valetudinum, ab eodem veneno quamuis ſcaturiant, nemo medicorum ignorat. Mercurii ſiquidem

w) ibid. pag. 116.

dem vis, ſubigendi venereum miasma et tollendi eius effectum propria, nullam praebet vtilitatem aduerſus gonorrhoeam *x*), quam potius magis exaſperat imo excitat *y*). Et contra quod hanc compeſcit medicationis genus, ne lenire quidem vlcera poteſt. Ab hac tanta diuerſitate duxerunt argumentum, eſſe morborum debere diuerſam materiam, quod noſtro tempore refutauit experientia, vt idem certe ſubeſſe venenum irritans plane perſuaſi ſimus. Nonne in diuerſa indole et mutatione locorum affectorum huius differentiae ratio forſitan ponenda eſt? Sine vlcere enim gonorrhoea exiſtit, et cum ſubſtantiae deſtructione vlcus ſemper apparet venereum. Sed non attinet coniecturam de hac re proponere. Sufficit enarrare medendi methodum, qua hucusque vſi ſumus in curatione gonorrhoeae et vlceris venerei.

§. XVI.

Gonorrhoeae curatio.

Vt plurimum aegroti iam finito primo morbi ſtadio aduenerunt. Conſiderato habitu corporis, vitae genere, aetate, humoris-

x) SYDENHAMI opp. edit. Genev. 1757. epiſt. reſponſor. II. pag. 207. BOERHAAVII aphrodiſiae praefat.

y) HVNTER lib. citat. pag. 124.

ris fluentis quantitate coloreque, vrethrae dolore ſtranguriofo caet. curationem coepimus ſecundum ſtatum rerum cognitum. Praeſente graui dolore vrethrae et vrinae difficultate lenibus vſi ſumus iniectionibus, quae inuoluunt acrimoniam leniuntque partes irritatas, oleoſis, mucilaginoſis v. c. ſolutione gummi Arabici cum laudano liquido mixta, et pro vſu interno emulſionibus amygdalinis, vel ex ſemine lini, quibus in inflammatoria diſpoſitione adiecimus nitrum depuratum. Interpoſuimus his paruas doſes pulueris lenientis THEDENII z), ad potum ptiſanam demulcentem commendauimus. Quodſi vero dolores non admodum magni erant, corporis habitus bene valebat, dedimus bis quotidie dicti pulueris ſcrupulum continuo per duas, tres hebdomadas et diutius adhuc, ſi opus erat, ita tamen, vt modo bis aluus inde moueretur. Decocti ſpecierum lignorum moderatum vſum adhibuimus. Si fluor materiae purulentae imminui videbatur, additae ſunt cuilibet pulueris nominati doſi guttae aliquot balſami Copaiuae. Quodſi tunc neque glandularum inguinalium, neque

z) Pulueris compoſitio haec eſt:
℞ Pulv. rad. rhei
Conch. ppt.
Sal. mir. Glaub. aa
M.

que testiculorum tumores apparebant, dosin balsami auximus sensim, vt postremo guttae viginti ad triginta eius quouis die bis sumerentur cum puluere illo vel in emulsionibus. Continuanti nihilominus fluori opposuimus postea, praecipue si laxitas vrethrae accedebat, corticis Peruuiani puluerem ad drachmas duas vsque tres pro dosi quotidiana. Simul iniici in vrethram curauimus leue decoctum huius corticis, cui sensim aliquot guttae extracti saturni addebantur. Sed haec additio caute adhibenda erat, siquidem eo remedio facile gonorrhoea denuo irritari et augeri solet, posteaque pertinacius sanationi repugnat. Vbi humor viridescens aut nigricans in gonorrhoea maligniori fluebat, qui linteamina valde tingebat, vbi antea aegrotus iam morbis venereis laborauerat, aut acrimonia humorum subesse videbatur et vbi iam alia instituta curatio nullam tulerat opem, saepissime cum felici successu vsi sumus pilulis resolventibus SELLEI *a*), quarum ab initio bis quo-

a) Rec. G. Guaj. nat. Vnc. vnam
Sap. hispan. vnc. dimid.
merc. dulcis. praepar.
Sulph. antim. aurat. tert. praecip.
pulv. rad. Senegae aa drach. vnam
m. f. pill. c. aceto Scillit. pond. gr. duor.
Consperg. pulv. liquir.
D.

quotidie numero quatuor et ſenſim doſin augendo tandem octo exhibebantur.

§. XVII.

Curatio vlcerum venereorum.

Ab initio curationis purgabantur primae viae, ſi impuritates continere videbantur. Deinde ſtatim ad vſum mercurii internum tranſiuimus. Dabantur pilulae: Rec. mercurii dulcis ſcrupulum, mic. pan. drachm. duas miſc. exactiſſime. Admiſcebantur interdum ad compeſcendum ſaliuationis initium camphorae grana decem; de qua compoſitione notandum eſt, ad vſum recens eam paratam eſſe debere, quum ſiccata nimis aegre, vel plane non ab humoribus ventriculi et inteſtinorum ſoluatur. Coepit ab initio mane et veſperi ſumere harum pilularum numero duas et ſenſim plures vsque dum quotidie ad grana quatuor mercurii adſcenderet aeger. Superbibebat ptiſanam. Diaeta ciborum neque valde nutriens, neque debilitans commendata eſt, in qua ſalſa et acida euitanda erant. Externe vlceri vnguentum baſilicum imponebatur. Nec alia curatio opus erat vlceri maiori rodenti, nec vnquam vltra dictam doſin mercurium dedimus, ne ſaliuae commoueretur fluxus, quem ſedulo euitauimus. Quodſi vero vlcera impura permanebant, quamuis ſufficiens quantitas mercurii data iam ſit, vel ſi iterum priſtinam tunc impuritatem contrahebant,

bant, mercurium tunc non amplius adhibuimus, vlceribus vero applicuimus remedia externa blande irritantia et suppurantia, vt solidum viuum excitaremus ad vividiorem actionem; et suppurationem sic leniter sustentauimus, quae, si vlcera reddidit pura, exsiccantium ope imminuebatur; et consanationem vlcerum tandem perfecimus hoc artificio. Ab initio autem et ante, quam virus venereum specifica curatione sublatum erat, vlceribus hisce callositate et impura lardo simili specie distinctis admota vnguenta irritantia vel exsiccantia conuenerunt quidem in exemplis rarioribus, plerumque autem effecerunt incrementum callositatis et inflammationis ita, vt vlceribus glandem penis, seu frenulum praeputii occupantibus adhibita eius generis curatio phymosin et paraphymosin saepius generaret. Eandem medicationem exigunt vlcera feminarum, quae antrum vaginae, locum inter labia pudendorum maiora et nymphas positum vel frenulum vuluae caet. corripiunt. Plurimum autem laborem medenti creant apud foeminas illa, quae frenulum vuluae obsident. Loco nimirum hoc concurrunt impuritates et afferuantur, quae irritationem et suppurationem augent et pertinacem reddunt, qua interdum, vt ipse vidi, intestinum rectum perforatur, aut sinus formantur perinaei regionem deuastantes et scalpello aperiendi. Cuius rei exemplum mihi se obtulit.

tulit. Externe his feminarum partibus deligatio applicari quum nequeat, curauimus frequenter vlcerofa loca elui caute aqua tepida mediante fpongia vel fyringa, porro linteum quadruplicatum ex folutione mercurii fublimati aquofa diluta et denique ex aqua faturnina debili imponi.

§. XVIII.

Bubonum curatio.

Duae dantur viae curationis bubonum, quarum vna tumorem discutere, altera commota fuppuratione fanare ftudemus. Vtraque fuam praeftat vtilitatem pro ratione morbi ipfius; alteri autem alteram in quolibet cafu praeferre, erroneum eft. Discuffionem, quae breuior curandi methodus eft et aegroto iucundior, tentauimus, fi tumorem lenior inflammatio, minor durities et dolor occupauit, fi recens adhuc erat et, quod praecipue obferuandum eft, nondum in fundo pus collegerat, tumoris fluctuatione cognofcendum. Ad quem fcopum dedimus pilulas mercuriales fupra memoratas methodo dicta (§. XVII) adfcendendo dofin, donec de die grana tria mercurii dulcis fumat aeger. Simul mercuriale vnguentum infra bubonem illini curauimus, eo loco, quo vaforum abforbentium ad bubonem migrantium radices fitae funt. Ipfi buboni autem linimentum volatile impofuimus et fi vlcera venerea aderant, quae caus-

fae

ſae erant bubonis, haec leniter irritantibus ad auctam ſuppurationem coegimus. Quibus auxiliis, praecipue poſtremo, adhibitis, disparuit nonnunquam feliciter bubo, quamuis obſcuram in eo fluctuationem percepiſſemus. Contra vero vbi bubonis tumor valde iam increuerat, grauis inflammatio ſaeuiebat cum dolore, admodum pungente et vrente, vel in profunditate multum puris iam coiuerat, tunc certe ad ſuppurationem ſpectabat, quam medicamentis idoneis promouere neceſſe erat. Nec diffitendum mihi eſt, etiam ſi diſcuſſio indicata tentata eſſet, eam ſaepius ex voto non ſolum non ſucceſſiiſſe, ſed ſub reſoluentis medicationis adhibitione ad ſuppurationem tranſiiſſe bubonem. In hac igitur morbi conditione fouebatur continuo tumor cataplasmatibus emollientibus calidis et vſui interno inſeruiebant refractae doſes mercurii dulcis, atque decoctum ſpecierum lignorum ad menſuram vnam vel vnius cum dimidia pro potu quotidiano frigido, quum calidus copioſus potus digeſtionem laederet. Nacta hiſce maturitate et emollitione duri bubonis per ſe pus egredi conceſſimus. Factam autem inde nimis exiguam plagam inciſione transuerſa amplificare conſueuimus vt puri exeunti viam commodam pararemus. Plagarum enim exiguitate fit, vt ſanatio protrahatur et euocandum pus ſolito diutius retineatur. Porro exiguae plagae turundarum immiſ-

immiſſionem paulo violentiorem requirunt, qua inflammationis noua cauſſa naſcitur, et pus remanens intus ſubſidet, proxima et adhuc ſana ſinuat. Et tandem, ſi quis integumentorum communium conſeruandorum et cicatricis euitandae cauſſa minorem plagam ampliori praeferre vellet, videat quaeſo, nihilominus ex ſuppuratione ipſa magnam integumentorum partem ſaepe conſumi deſtruique, nec poſſe eam arte conſeruari, nec cicatricem praepediri. Sed ante hanc, quam dixi, inciſionem vltima expectetur maturitas, et omne inflammationis et duritiei indicium remoueatur, neceſſe eſt. Quod vbi curioſe obſeruatum non erat, ſequebatur praua ſuppuratio plagarum, oraeque earum fiebant calloſae, immo emortuae ita, vt opera ſcalpelli illae inciderentur vel totae exciderentur, neceſſitatis fuerit. Omnibus autem his ſanationi magnas difficultates parari, facile intelligitur, quibus ſimul patet, amplam plagam praeferendam eſſe exiguae bubonum. Euocatur nimirum, illa facta, ſtatim puris maxima copia, quod leni digitorum preſſione adiuuari poteſt. Deinde turundam ex linteo carpto paratam raram, vnguento baſilico illitam, imponimus, quam tegimus penicillo eiusdem generis, glutinamus emplaſtri ope et panniculo ſuppoſito faſciam ad bubones, ſi inguen occupat, adplicamus. Prout neceſſarium eſt, ſemel vel bis quotidie externa haec

reno-

renouantur. Depurato tandem bubonis vlcere leniter exſiccantia admouemus. Rebelli autem buboni, calloſitatem et corruptionem ſub hac curatione concipienti inſperſimus puluerem corticis Peruuiani, interdum cum puluere myrrhae vel ſale ammoniaco mixti, quo breui emendari coepit. Mercurialibus eo vsque vſi ſumus in hac curatione, donec bubo conſanescere inciperet et alii vna cum eo exiſtentes morbi venerei ſanati eſſent. Sepoſitis enim tunc his remediis ſpecificis, nihilominus ſanatio bene ſucceſſit. Quodſi vero contrarium euenit, ad illa refugiendum erat.

enotantur. Disparato tandem tubere vi-ere [illegible]. Re-cellit tum bubonum, dilatatam et corrupto-rum sub hac parte [illegible] [illegible]-ans pulverem coloris Peruviani, interdum aut unguentum myrrhae vel sale ammoniaco mixtum, quo breui emendari coepit. Mercu-rialibus eo usque vti tentis in hac curatione, donec bubo contabescere inciperet et ali-qua cum eo existentes morbi venerei sinan-dent. Serpabis enim tunc his remediis [illegible], [illegible] sanatio bene successit. Quodsi vero contrarium eueniat, ad illa re-fugiendum erat.